



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De eadem re. ci.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

mortalitatem eos qui in aduentu domini viui inueniendi sunt, & hoc eis reputari pro resurrectione ex mortuis, quod mortalitatem immutatione deponant non mortem, quolibet quis acquiescat modo non hæreticus, nisi inconuentione hæreticus fiat. Sufficit enim in ecclesiæ lege, carnis resurrectionem credere fieri ce morte.

De eadem re. Caput CI.

Quod autem dicimus in symbolo, in aduentu domini *Itē Aug.* viuos & mortuos iudicandos, non iustos tantum ac peccatores iudicari, sicut Diodorus significari putat: sed viuos eos qui in carne inueniendi sunt dicit. Quia ad hoc morituri creduntur, vel immutandi, sicut alij volunt: vt suscitati continuo vel reformati à mortuis iudicentur.

Quod angeli a postata, & impij homines post tormenta quasi suppliciis expurgati, non iustorum societati donentur. Caput CII.

Post resurrectionem & iudicium, non credamus resurrectionem futuram, quam origenes delirat, vt demones vel impij homines, post tormenta quasi suppliciis expurgati, vel illi in angelicam qua creati sunt redeant dignitatem, vel iniusti iustorum societate donentur, eo quod hoc diuinæ conueniat pietati, ne quid ex rationabilibus pereat creaturis, sed quolibet modo saluentur. Sed nos credamus ipsi iudici omnium, & retributori iusto qui dixit: Ibunt impij in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam: vt percipiant fructum operum suorum. Et iterum: Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.

Quod resurrectio fieri debeat in ætate perfectæ iuuentutis, quæ profectu non indigeat. Cap. CIII.

Inchoatio pacis sanctorum est in hac vita non perfectio. *Ex dictis Isidori.* Tunc autem erit plenitudo pacis, dum ad Dei contemplationem absorpta carnis infirmitate conualuerint. Resurrectio mortuorum, vt apostolus ait, in virum perfectum in mensurâ ætatis plenitudinis Christi futura est: In ætate scilicet iuuentutis quæ profectu non indiget, & absq; inclinatione defectus in perfectione ex vtraque parte & plena est & robusta. Quâuis nunc filiorum Dei nomine homines fideles

TT iiii